Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1741 20 mens. Novemb.

Bitkowski Georgii: Manipulus philosophicarum coronarum a Jagellonica Pallade virtuti et eruditioni V. Vv. Dd. primae laureae Candidatorum oblatus.

Pocrya 2895.

MANIPULUS
PHILOSOPHICARUM CORONARUM,
à Jagellonica Pallade
VIRTUTI & ERUDITIONI
V. V.V. D.D. Primæ Laureæ Candidatorum
OBLATUS.
& dum
In Alma Universitate Cracoviensi
PER
Illustrem, Clarissimum & Admodùm Reverendum Dominum,
D.M. JOSEPHUM CYANKIEWICZ
Philosophiæ DOCTOREM, Ejusdemq; & Cursûs Vladislaviani PROFESSOREM, Collegam Minorem, Ecclesiæ Parochialis in Novo Monte CURATUM,
In amplissima Magnorum Hospitum Frequentia
Artium LL. & Philosophiæ Baccalaurei
Ritu Solenni crearentur;
In vim Fraterni & gratulatorij applausûs
PER
GEORGIUM *de Wosczany* BITKOWSKI KASZUBA
Ejusdem Laureæ Candidatum.
Luci Publicæ
PROPOSITUS.
Annô Domini 1741. Die 10. Mensis Novembris.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

In Gentilitium Stemma.



I.

Crux SOLEÆ, CRVCI pennatus nititur Ales,
Sic unam decorant, plurima ſigna Domum.

II.

Laurigeros ſignante gradus CRVCIS ecce Trophæó
Aligeræ Volucres, proſpera cuncta canunt.

MAGNIFICO PERILLUSTRI & ADMODUM REVERENDO DOMINO

D. M. ANTONIO GORSKI,

Iuris Vtriusq; PROFESSORI Ecclesiæ Collegiatæ Zamoscensis CANONICO, Parochialis Turobinensis PRÆPOSITO, Almæ Vniversitatis Zamoscensis Generali & Vigilantissimo RECTORI.

Protectori meo singularissimo.

PHilosophicarum Coronarum Manipulus à Jagellonica Pallade novissimis in arena sua operarijs oblatus, plaudentibus meis metris in publicam productus lucem, in Tuis manibus reponi gaudet Magnifice Perillustris & Admodùm Reverende Domine Protector singularissime. *Cuinam etenim Capiti Laureatæ de aureis Jagellonici Manipuli Culmis pullulantes inclinarentur alacrius frondes? quàm Tuo, ad Cujus Coronamentum non uno germine lætissimæ assurrexerunt. In quem Sinum Palladianæ libentiùs devolverentur Laureæ? quàm in Tuum, in quo Ipsa voluit consedisse Pallas. Quibus manibus doctarum præmia frontium Philosophicæ Coronæ, & Coronarij eruditorum Capitum Orbes conservarentur securiùs? quàm Tuis, quibûs Ipsa Academica Sceptra, aureosq; Regni literarij fasces regis prudētißimè, foves & cōservas solertißimè. Primum Philosophici Honoris gradum in Regali Cracio Athenæo à me obtentum exinde mihi secundißimū ominor, quòd inter aurea Gentilitiæ Tuæ Soleæ vestigia, solidißimam protectionis repererit basim. Bonis avibûs novelli Anagonethæ Philosophica ad bravium alti-*

orum Laurearum emetiemur Olympia, quibus Corvinij dexterima volatu Alites præludent. Succedent feliciter ulteriores in literaria arena progressus, quibus primum iter præfulgidæ Crux superemi- nens Soleæ, non symbolico, sed genuino omnigenæ prosperitatis co- ronaverit signô. Pridem fateor Te Rector Magnifice *re- bus Protectorem quæsiisse meis ardentis animi studiô proposueram, sed puduerat coram eruditorum Virorum ocello, aliter comparere, aliter sub protectionem summi inter literatos Viri irripere, nisi de Gra- ciæ Palladis Athenæo aliqua studiosæ specimina mentis, & pro- pensi in literas animi testimonia ferrem. Hoc fine Regiæ Jagel- lonicæ Palladi prima Philosophica subarratus Laureâ, cum nupe- ro mei ingenij partu quinq; Literarias Coronas in unum collectas Manipulum publicæ luci præsentante, metricis pedibus ad Genti- litiam Tuam Soleam sisto. Non est mihi animus Aviti Tui Stem- matis præclaram originem, longoq; recensenda syllabô decora pari exornare elogiô, negotio hoc ingenij mei superante vires & Te Ipso* Rector Magnifice *non Tua, licet Tuorum sint, quæ non fe- ceris Ipse reputante. Avita Majorum gloria, pulcherimus Tibi ad gloriosa quæq; stimulus, sed non gloriæ compendium; quod nobilissi- mam mentem ab omni laudabiliter gestorum & gerendorum ab- solvat conatu. Clarissimam Magnis Antecessorum meritis Gen- tiliam Soleam, literariæ invexisti arenæ, ut in utroq; nempe tam in Bellonæ, quàm in Palladis campo gloriosissimis vestigijs inclare- sceret. Alites Gentilitios Minervalibus associasti noctuis, ut Ma- vortijs innutritas ignibus, inconnives ad Literarium solem ex- plorarent pupillas. Prima quibus in literariam processisti arenam vestigia Tua, in sublimes perfectissimæ eruditionis assurrexerunt gradus, illiq; dilectissimi Phœbo & Musis animi exæquarunt fasti- gio, in quo fæcundum omnibus scientijs Caput, eruditæ pro meta Laureæ exambirent. Submisisti sapientis verticem Capitis Docto- rali in Philosophia corymbo, mille adornari Coronis meritissimum. Academicæ Zamoscensi Palladi, eô mentis studio adhæsisti, ut plus de illa, quàm solâ votis attingere poterat, mereris. Illis me- ritorum passibus, opperosiq; laboris vestigijs Philosophicam insignivisti*

arenam,

arenam, ut omnes Academici Persei gressus Laureis & Coronis reflorescerent. Aristotelicum Euripum pretioso eruditæ frontis sic adauxisti sudore, ut gemmeo non absimilis Tago videretur. Artistarum aliquoties Decanus, inclytæ Philosophicæ Facultati, cum gloria & suavi omnium ad Philosophicos labores incitamento, præfuisti. Princeps Philosophorum primus Doctoralia adimplebas munera, primus in Philosophicam descendebas arenam, ivitq; celerrimè eruditum docta ad jurgia Agmen, quò Ducem suum vidit præcessisse. Audivit Te Stoa, & Divinum venerabatur Platonem. Mirabantur Philosophicæ Cathedræ excellentissimi Tui ingenij in penetrando profunditatem, in resolvendo promptitudinem, in argumentando subtilitatem, in explicando facilitatē, felicitatē in docendo. In utraq; exedra summum cultissimæ eloquentiæ attigisti fastigium, novus ævo nostro Oratorum Phœnix. Aureo calamo, sive in Principum & Magnatum laudabilia involasti gesta, sivè panegiricas Divis Cæli Indigetibus scripsisti laudes, ex bifido pennæ tuæ ore, ceu ex solis radio, plùs Oratorij luminis, quàm Sepiæ fluxit. Tullius in politicis rostris acumine fæcundus, attico svadæ lepore svavis, eloquiô rotundus, stylô gravis & concinus, in Sacris exedris aureo ore Chrysostomus, dulcore sermonis mellifluus audiris Bernardus. Labores Tuos in Academico exantlatos orbe non tantùm integra serie, sed etiam per compendia recensere, supra mei calami & ingenij vires. Citra literarias curas familiaribus quoq; negotijs, sollicitum admovisti animum, ut non uno fonte de Pallade & Musis Zamoscensibus merereris. Generalis Zamoscensis Universitatis Procurator, bona Illius curâ & sollicitudine Tua effecisti optima, in accumulando solers, in dispensando fidelis, de hoc maximè sollicitus, ne unquam laboriosi in sudore vultûs sui Professores pane non vescerentur, vel emerito carerent denario. Ordinandorum Seminarij Præfectus; quot Alumnos probis exercuisti moribûs, Sacrâ instruxisti doctrinâ, tot optimos vineæ Domini operarios providisti: Summorum in Academica statione laborum gradibus, ad Sacrum Divæ Themidis dedactus Augustal, eô intensissimi laboris conatu, eâ legum Scientia, eâ ingenij promptitudine

 legendo

legendo & explicando juri Professoralem adhibes operam, ut Justinianum adire se gaudeant, quibus Tuos contigit esse Auditores. Sonant clariùs Sacræ Astreæ oracula, Te entheo suo animata. Intelliguntur exactiùs; percipiuntur faciliùs quævis juris regulæ Te Professore, Te Magistro explicatæ. Academica Zamoscensia Sceptra, quæ ad ingentium in literaria Republica Tuorum meritorum & consumatæ sapientiæ instantiam, merendi cupidus, eminendi non ambiens, detractantibus suscepisti manibûs, eruditæ virtutis & singulari Sapientis animi ornatu appretias, felicissimo Regimine deauras, Summo Rectoralis vigilantiæ studio sic beata, sic felicia reddis, ut Argo oculos non invideant. His ergo manibus, quibus æquè prudenter ac feliciter Literarij Zamoscensis Universitatis tenentur reguntur que fasces, Philosophicarum Coronarum Manipulus, à Regia Jagellonica Pallade contextus, cum Laurigeris se ingerit aristis. Suscipies Magnifice Perillustris Domine *istas Laureatæ messis Primitias, quas Tibi veneraboundus offero, in gemmeum Rectoralis Purpuræ sinum. Primum in Philosophia gradum à me recenter obtentum, Gentilitiæ soleæ metallô, & gratiosa protectione Tua sollidabis. Annuent meis boni Superi votis, ut prosperimis cumulatus successibus, maximis in literaria Republica & Ecclesia DEI Honoribus auctus Nestoreos Gratiosissimus Protector vivas incolumis annos*

Ita precor

Magnificæ Perillustris & Admodùm
Reverendæ Dominationis Vestræ

Devinctissimus Cliens & Servus.

Author Operis

D. JOANNI CANTIO
ACADEMICARUM LAUREARUM ARBITRO & PATRONO,
Philoſophicarum Coronarum Manipulus dedicatur.

Cum Lemmate:
Denſior florebit ariſta.

PRiſtinos Orbìs memorando cultus
Sacra vetuſtìs revocando faſtìs,
Conſtat, ut multìs coluere donìs
Numina gentes.
Flôribûs Floram cumulabat iſte,
Cûi ſuburbanô revirebat agrô
Inſitìs hortus peramænus herbìs,
Vimine lætus.
Fruge collectâ Cereri litabat
Meſſor haud parcas ſegetes reviſens,
Fertiles ſulcos & opima luſtrans
Arva colonus.
Orbe Lechæô veneranda Mater,
Liberi Regni decus & Magiſtra,
Laureâ dives celebriſq; meſſe;
Serta maniplô.
Frontibus noſtris modò præmiandis
Promit; aſt talis ſeges unde venit?
Fruge tam læta revireſcit unde
Noſter acervus?

Eſt apertum ſat, quia copioſis
Gratiæ rivis reficis JOANNES
Rore Cæleſti cumulas peramplo
Palladis arva.
Nubibûs ruptîs relabens procella
Sternit evectas ſegetesquè totam
Spem colonorum quatiente culmos
Eripit imbre.
Noſtra ſed tellus magis hinc abundat
Laureo fructu, quia Tu JOANNES
Grandinas gemmîs riguôq; in illam
Depluis aurô.
Nilus ut ſeptem fluvijs redundat,
Sic Pater CANTI geminos refuſô
Vertices, amplos Jagellonis agros
Alluis amne.
Palladis campus revireſcit inde,
Seminant lauros Craciæ Camænæ
Regius nexu retinet perenni
Serta maniplûs.
Hunc Tuis CANTI venerande Doctor
Sternimus plantîs, Cineresq; Sacros
Cingimus ſertîs, Tibi laurearum
Cedit acervus.
Quæ Tuo nobis viruit favore
Meſſis, hanc dextrâ foveas Paterna,
Ut perennanti redimita flore
Creſcat ariſta.

Illuſtribus

Illustribus Clarissimis & Admodùm Reverendis Dominis

D.D. EXAMINATORIBUS,

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino.

D.M. JOSEPHO CYANKIEWICZ

Philophiæ DOCTORI, Ejusdemq; & Cursûs Vladislaviani PROFESSORI, Collegæ Minori, Ecclesiæ Parochialis Novi Montis CVRATO, ac interea Philosophicæ Facultatis DECANO.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino.

D.M. CASIMIRO STĘPLOWSKI

Philosophiæ DOCTORI, Ejusdemq; Regio PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ ARCHIDIACONO.

Clarissimo & Excellentissimo Domino.

D.M. JOANNI PRZYPKOWSKI

Philosophiæ DOCTORI, Ordinario in Collegio Minori Astronomiæ PROFESSORI, Strzałkoviano GEOMETRÆ Jurato.

In vim debitæ gratitudinis.

Hederacea cum Corymbis Corona.

Cum Lemmate:

Primam meruerunt Hi laude Coronam.

Illustre Germen Gloria Regiæ
Stoæ, Cochortis Palladiæ Decus,
Gemmata Magnorum Corona,
Ternio percelebris Sophorum.
Dulcor quis oris? quæve facundia,
Quod suave nectar? portio quæ gravis,
Lingvæ melos quod tam beatum?
Vt resonet Tua gesta dignè

Hæc non Arion pectine Lesbio,
Non dulcis *Orphæûs Threijcia* Lyrâ
Non docta Clio ſat valebit,
Caſtalijs celebrare plectris.
Nam quot lepores Attica parturit,
Quot hybla dulces progenerat roſas,
Tot veſtra virtus in Coronam,
Emeritos revocat decores.
Licetq; ternus nomina ſyllabus
Claudit, ſed ipſâ laudis adoreâ
Quodvis volumen ſat peramplum
Et numeros ſuperatis omnes.
Primus refulges Principe Purpura
Stoæ decorus, mentis Eburneæ
Nitor, tum norma CYANKIEWICZ
Caſtalio benè potus amne.
Tu magna Doctæ Gloria Palladis,
Tractu laboris tendis in ardua,
Spartas per omnes glorioſus,
Ingeniô meritisq; clarus.
Tuo Iuventus ducta Regimine
Per æquor altum, per freta Palladis,
Perito navigans Navarcho
Littore conſtitit in beato.
Curſûi bienno Tu Vladislavij
Præfectus, omni dignus adoreâ,
Agmen Sophorum ducis apto
Calle, vias reparando planas.
Intaminatîs dives honoribus
Virtus, in omni Te ſonat aureum,
Splendor Paleſtrarum STĘPLOWSKI
Dotibus egregijs coruſcans.
Candore cordis ſuavis amor Patrum,
Dulcore ſuadæ vincula mentibus
Iucunda formas, & lepore
Mellifluo recreas cor omne.

Robuſtus

Robuſtus Atlas grandia pondera
Suffers laborum, natus ad omnia
Sudore nutriris, nec eſt, quod
Non tulerit Tua dextra punctum.
Excelſa virtus ſe ſtupet intimè
Tantum quòd in Te poſſit & approbat
Sudaſſe noctes ac dies, Te
Delicium Sapientis Ævi.
Thalia celſo devehit eſſedo
Nomen ſuperno vulgat in æthere
Tuum perdocte PRZYPKOWSKI, quod
Poſtera concelebrabit ætas.
Tu namq; docto ſidera vertice
Volvis, Mathæſis dotibûs inclytus
Rotatos, erudita Cæli
Mente Tua repetendo gyros.
Dexter Lycæô, clarus in Exedris
Robuſta ducis prælia Tu Sophus,
Triumphas corda, dum ſublimes
Ore ligas animos venuſto.
Ergo peramplis laudibus, impari
Pennâ celebres non temero Viros,
Clientali profundo corde
Vota fero reverenter iſta.
Fulgete longùm lucida Sidera,
Ornate Cælum Palladis aureum,
Coronet Vos Polus, demumq;
Celſus honos decoret perennes.

MANIPULUS
PHILOSOPHICARUM CORONARUM.
VIRTUTI & ERUDITIONI
V. V.V. D.D. Primæ Laureæ Candidatorum
à Jagellonica Pallade
OBLATUS.

II. V. D. JOANNI CANTIO LASKIEWICZ Crac:
Corona Minois.
Egregiam animi temperiem, & indolem omnibus ſtudijs parem deſignans.

Cum Lemmate:

Juſtæ ad pondera libræ.

IMperij Latiale Caput, qvæ vertice multo
Roma ſupereminet, latè victricibus armîs
Orbe triumphato Princeps celeberrima Mundi
Claris Marte Viris, Ducibus mucrone probatis
Plaudendo ſueverat varias conferre Coronas.
Docta quibûs Pallas proprios munerabit Alumnos
Has inter decorare Tuam Minoia frontem.
Ambit LASKIEWICZ, cultu mentisq; vigore
Præcellens vivo. Patrias Tibi Regia cunas
Vrbs dedit, ingenium melior natura polivit.
Ductilis ad cunctas animus Tibi prominet artes,
Cerea mens flecti, vigor igneus enitet oris
Docti, temperies morum benè flexa. Perinde
Minois celebris myrthus Tua tempora cinget.

III, V. D.

III. V.D. JOANNI CANTIO KRUZEL
Corona Thesei.
Symbolum ingenij Philosophicis difficultatibus enodandis idonei.
Cum Lemmate:
Felix qui potuit.

NOn mihi fatidicas pandunt oracula voces,
Attamen hæc vero Numine plena manet:
Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Ingenio valuit tangere cuncta suo.
Ardua sed quævis cognoscit sola Sophorum,
Ars & Aristoteles, omnia mente capit.
Hunc vigili studio KRVZEL sectaris & artis
Subsidió penetras, quidquid in arte latet,
Filis doctarum rationum duceris, & sic
De Labyrintheis flexibus egrederis.
Tu sensu facili nodosos scindis Elenchos,
Ingenio superas ardua quæq; Tuô.
Vertice nunc docto Thesei serta prehende,
Post majora dabit Pallas amica Tibi.

IV. V.D. ANTONIO MIKLASZOWSKI
Sertum Vulcani.
Symbolum ingenij facundiâ pollentis & prudentiâ maturi
Cum Lemmate:
Vigor igneus oris.

NVmine quô mediô Pallas producitur Orbi
Ex summi cerebro Iovis?
Immortale Caput valido Siculus quatit ictu
Vulcanus, Dea prosilit.
Faustior ANTONI Iove quòd sine vulnere Pallas
Advenit capiti Tuo.

Frons Tua sudoris guttas stillat copiosas,
Et gemmîs sapientiæ
Ditescis, suadâ polles, prudentiâ rerum.
In Te juncta scientijs
Apparet. solers animus, vigor igneus oris
Implet lumine Te suo,
Ergo non metuas unquam umbras sortis iniquæ
Virtus ignea quem tegit.

V. V.D. GREGORIO KROLIKOWSKI
Circulus circa Solem apparens,
Symbolum Philosophici honoris sudore parandi.
Cum Lemmate:
Solem circumnectens Corona nymbos minatur.

SVnt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat. sed Tua fervidis
Virtus ad solidum ducta laboribus
Culmen, laurigero vertice prominet.
Laurus namq; Tuo nunc Capiti data
En laudis remanet symbolicum decus,
Quæ sudore Tibi non modico venit.
Sudasti nimium Sole Scholasticô,
Insomnis vigiles nocte Cleanteâ
Duxisti excubias. Sidera dum suos
Occasus repetunt, languidus haud Tuos
Sensus sopor agit. laurea Palladis
Fronti sic madidæ lætior imminet
Permultum similis Titaneæ rotæ.

I.V.D.

I. V. D. GEORGIO
DE WOSZCZANY
BITKOWSKI KASZUBA
Primæ Laureæ Candidato
Authori Operis.
V. D. CANTIUS LASKIEWICZ
Ejusdem Laureæ Candidatus
In vim mutui applausûs & affectûs offert
Sertum Ariadnæ.
Ingenium Scientijs omnibus par coronans.
Cum Lemmate:
In alios sparsa Tu collecta tenes.

QVæ Tibi pro multo nostrarum carmine laudum
Præmia retribuam, munera quanta dabo?
Musa Tuas KASZVBA volens describere laudes
Vilis inopsq; Metris cernitur ipsa suîs.
Quis Tibi congenitas dotes quis munera Cæli
Per tenues possit magna referre modos?
Nobilibus Cunis Dea Te Lucina beavit,
Ac animum finxit de meliore luto.
Masculus hince lepor vultum decoravit amænum.
Consceditq; sinu Pallas amica Tuo.
In Caput eximium Musæ venere canoræ,
Quarum BITKOWSKI solus Apollo manes.
Ad quævis promptus, sublimia mente capaci
Percipis, attingis Culmina celsa Sophûm.
Ornat Te gravior valido Sapientia nisu,
Gaudet & in gremio Magna fovere Parens.
Tullius & Plato varia non fronte recondi,
Ast in Te voluit vivus uterq; fore.

D Ergo

Ergo vota damus rebûs procede secundis
Quò Tua Te virtus, Gloria quò què vocat.
In Te mista fluant quæ das elogia nobis,
Ac omnes lauros vertice claude Tuo.

SVB FELICISSIMO REGIMINE
Magnifici, Perillustris & Reverendissimi Domini

D.M. JOANNIS LUKINI,

Utriusq; Juris DOCTORIS, & PROFESSORIS, Collegij Juridici SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Collegiatarum Vislicienſis PRIMICERIJ, SS. Omnium Crac. CANCELLARIJ, Parochialis Sławkoviensis PRÆPOSITI, Contubernij Regio-Jagelloniani PROVISORIS, Studij Generalis Almæ Universitatis Cracoviensis Vigilantissimi
RECTORIS.